

ptimo, non Græci tantum, sed M. Cice-
 ro, & omnes doctiores Latinorum, vno
 ore, vel Platonem sibi gloriæ Philoso-
 phorum Principem appellant, vel qui
 minus, hunc vel illum gloriæ sibi tri-
 buunt collegam: alij Plotinum vt Ma-
 crobius, alij Xenophōtem, vt A. Gellius.
 Ita de collega fortassis aliqua, de Platone
 nulla quæstio est. Nec sum nescius, ab
 hac tanta Platonis laude, quosdam (vt
 Tulliano eos nomine designem) plebeios
 & minutos, vel si Senecæ vocabulo vti
 malim, cathedrarios Philosophos discor-
 dare, qui non aliter quàm in magno e-
 xercitu, seditiosum vulgus, & ignauum
 magnis clamoribus permiscent, nouos-
 que sibi duces faciunt, iusti Imperij de-
 fertores, quibus igitur militibus licent
 obstrepant innumeris, paucos vel Græco-
 rum vel Latinorum obiiciam, quorum
 congressu nec anceps bellum sit, nec ne-
 cessaria sententia, constetque alios for-
 tassis à pluribus, Platonem certè à melio-
 ribus laudatum. Sed de hoc multa loqui
 locus dehortatur, ne scilicet à rerum nar-
 ratione, in contentionis studium transi-
 se videamur. Præstat igitur cœptum se-
 qui, & ne vulgatum ingeram, lectorem si